

**Henrici SIENKIEWICZ *Anthea, sive fabula “Eamus ad Ipsum”*** a Petro Angelinio Latine versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré, Bruxellis, 2010, 177 pp., ISBN 978-2-87290-026-8. Constat XX nummis Europaeis.

Bruxellis est parva domus editoria, cui nomen Melissa. In qua series librorum Latinorum ab anno 1750 ad 1950 conscriptorum nuper adornari coepit<sup>1</sup>. Cuius seriei primum volumen in publicum prodiit Latina, quam hic recensendam suscepimus, fabulae Henrici Sienkiewiczz interpretatio. Agitur de narratione Christiana Polonice anno 1892 conscripta et *Pójdźmy za nim* inscripta, qua Sienkiewiczus maiori eidemque clariori mythistoriae praelusit, cui titulum fecit *Quo vadis?* Sunt duo haec Sienkiewicziana opera consimilia. Utrobique res agitur iis temporibus quibus persuasio Christiana per imperii Romani fines sese diffundere coepit atque depingitur quidam Romanus paganus, qui, cum adhuc vitiis deditus fuerit, se ad Christum convertit. Interpres nominatur Petrus Angelinius, sacerdos Romanus, idemque linguae Latinae scientissimus, qui, posteaquam multos annos litteras Latinas in quibusdam institutis pontificiis professus est, saeculo vicesimo ineunte scriba ab epistolis Latinis ad principes Leoni XIII pontifici maximo datus est. Is saepe symbolas dedit commentariis periodicis Latinis, quibus index “Vox Urbis”. In quibus commentariis primum prodiit in lucem haec fabula Latinitate ab eo donata et *Antheae* titulo insignita, quam Theodericus Sacré, universitatis Lovaniensis professor, denuo edendam curavit.

Dicit fortasse aliquis satis multa exstare opera Latine composita ut iis contenti libris ex aliis sermonibus in Latinum conversis supersedeamus.

At haud exiguis fructus ex huiusmodi Latinis interpretationibus capi potest. Etenim, cum perutile sit ad sermonem externum condiscendum iucundas et intellectu faciliores fabulas aliquando evolvere, pauci autem huius generis libri Latine scripti circumferantur (nam neque Apuleii neque Petronii opera, praeclera quidem et suavissima, at nonnumquam intellectu difficiliora, huic proposito satis apta videntur); interpretationes Latinae fabularum linguis recentioribus conscriptarum minime spernendae sunt iis, qui in animum induixerunt sermonem Latinum penitus discere. Id quod nonnulli homines eruditи vident, qui

...ut pueris olim dant crustula blandi  
doctores elementa velint ut discere prima,  
(Hor. Sat. I 1, 25 sq.)

sic narrationes recentiores Latina veste indutas in manibus adulescentium adhuc linguae Latinae satis rudium ponunt, quo facilius et iucundius discant assuescantque sine nimia animi contentione scripta Latina versare. Res non est nova. Iam saeculo duodevicesimo Philippus Iulius Lieberkühn, Wratislaviensium scholarum inspector, puerilem narrationem de Robinsono iuniore a Ioachimo Henrico Campe Germanice compositam tironum gratia in Latium transportavit<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Videas sedem interretiale domus editoriae <[www.fundatiomelissa.org](http://www.fundatiomelissa.org)>. Ubi omnia necessaria invenias ad comparandum libri exemplum.

<sup>2</sup> Ioachimi Henrici Campe *Robinson Secundus. Tironum causa Latine vertit, atque indicem Latinitatis adiciendum curavit Philippus Iulius Lieberkühn* (Zullichoviae, 1785). Qui liber a Gedikio recognitus aliquoties editus est: Ioachimi Henrici Campe *Robinson Secundus. Tironum causa Latinitatae donatus a Philippo Julio Lieberkühnio, nunc denuo recensitus et copiosiori indice instructus a Ludevico Friderico Gedike* (Zullichoviae, 1789).

Ceterum hoc opusculum alios interpretes nactum est Ioannem Fridericum Theophilum Nagel Gaterslebenensem pastorem et Franciscum Iosephum Goffeaux, lycei imperialis (nunc Ludovici magni) professorem: Ioachimi Henrici Campe *Robinsonius minor e Germanica editione XII*

Saeculo autem vicesimo huius generis fabulae Latine redditae adeo percrebuere ut hodie difficile sit eas omnes vel titulo tenuis cognoscere<sup>3</sup>. Tantum abest ut hoc loco eas percensere possim. Pleraeque tamen earum interpretationum adeo fluentes sunt, delumbatae atque inquinatae ut tirones iis legendis non tam Latine discere quam dediscere mihi videantur. Satis erit exempli gratia commemorare lutulenta Arcadii Avellani interpretamenta<sup>4</sup> vel Harrii Potteri fabulas<sup>5</sup> non ita pridem a quodam magistello Latine expressas, sed adeo iejune et incondite ut nescias utrum magis mireris, interpretis audaciam, qui litteris Latinis leviter tinctus tale opus suscepit, an censoris cuiusdam Oxoniensis impudentiam, qui librum maximis laudibus cumulare atque vix melius Latine reddi potuisse scribere ausus sit.

Aliae numero admodum paucae egregrie sunt confectae. In his censendae sunt omnes interpretationes quae ab Hugone Henrico Paoli profectae sunt, viro ut omnis antiquitatis peritissimo, ita Latine scribendi arte cum paucis suis aequalibus conferendo. Qui sive oratione soluta, sive numeris adstricta usus est, interpretis munus praecclare sustinuit. Quid enim suavius iis versiculis, quibus Maximi et Mauriti facinora enarravit? Aut quid gratius Pinoculo eius Latino? Quem qui legerunt, deierent Pinoculum melius Latine loqui non potuisse<sup>6</sup>. Neque contemnendae sunt fabellae

*denuo Latine vertit perpetuaque vocabulorum et phrasium observationumque grammaticarum et lexicographicarum serie Boedero atque Grotfendio ductoribus in usum tironum illustravit Io. Frider. Theoph. Nagel Philos. Doct. et publicus verbi divini minister. Pars prior (Helmstadii, 1823); Pars posterior (Helmstadii, 1828); Fata Robinsoni Crusoei, Latine redditia ex imitatione operis Germanice scripti ab H. Campe. Ad usum tironum (Parisiis, 1809). Quae interpretatio saepe typis est expressa in Gallia, Britannia, America.*

Reperti sunt quoque qui ipsius Danielis Defoe Robinsonum Latina veste induerent, Franciscus Guilelmus Newman celeberrimi cardinalis Newman germanus atque Arcadius Avellanus acerrimus usus linguae Latinae propugnator, qui etiam suum addidit supplementum: *Rebilius Crusoe: Robinson Crusoe, in Latin; a Book to lighten Tedium to a Learner. By Francis William Newman, emeritus Professor of Latin in University College, London; honorary Fellow of Worcester College, Oxford* (Londinii, 1884); *Vita discriminaque Robinsonis Crusoei; ab auctore Daniele De Foe, Anglo; primam fabulae partem, usque ad Crusoei adventum in insulam, ex anglico in latinum vertit, illinc autem ad finem usque novam finxit et latine perscrispit Arcadius Avellanus* (Novi Eboraci, anno circiter 1928), duobus voluminibus. Haec autem diligentius persequi visum est ut ex unius Robinsoni exemplo patetieret quantus esset fabularum Latine redditarum proventus.

<sup>3</sup> Hic non est silentio praetereundum Bernardi Platzdasch incepsum. Qui indicem facere instituit omnium interpretationum tam Latinarum quam Graecarum, quotquot saecula undevicesimum et vicesimum pepererunt, consilium utilissimum sane et laudandum, fructuosius etiam futurum, si singulis libris a se enumeratis iudicia et censuras aliquando addiderit, quo facilius homines cum alii, tum in lingua Latina nondum valde exercitati bona a malis secernere queant. Vide eius paginam interretialem *Pantoia. Unterhaltsame Literatur und Dichtung in lateinischer und griechischer Übersetzung* <<http://www.pantoia.de/pantoia.html>>.

<sup>4</sup> Conferantur, praeter eius Robinsonum, cuius in annotatione 2 meminimus, *Pericla Navarchi Magonis sive expeditio Phoenicia annis ante Christum mille. Opus Francice scripsit Leo Cahun, in Anglicum vertit Helena E. Frewer, Latine interpretatus est Arcadius Avellanus* (Novi Eboraci, 1914); *Mysterium arcae Boulé. Opus Anglice scripsit Burton E. Stevenson, Latine interpretatus est Arcadius Avellanus* (Novi Eboraci, 1916); *Insula thesauraria ab auctore Roberto Ludovico Stevenson. Latine interpretatus est Arcadius Avellanus* (Novi Eboraci, 1922); alia haud pauca, quae recenset Bernardus Platzdasch in pagina *Pantoia* supra in annotatione 3 memorata.

<sup>5</sup> Ioannae Rowling *Harrius Potter et philosophi lapis. Translation by P. Needham* (Novi Eboraci et Londinii, 2003) et eiusdem *Harrius Potter et camera secretorum. Translation by P. Needham* (Novi Eboraci et Londinii, 2007).

<sup>6</sup> Willelmi Busch *Maximi et Mauriti malefacta (Max und Moritz) ab Hugone Henrico Paoli Latinis versibus enarrata* (Florentiae, 1959); eiusdem Willelmi Busch *Fabellae pueriles ab Hugone*

Americanae a Terentio et Guenevera Tunberg Latine interpretatae, velut *Cattus petasatus*, libellus simplex pariter ac iucundus, quem discentes posito grammaticae tirocinio statim legere queunt et in quo convertendo coniuges Tunberg rhythmos a poëtis Latinis mediae aetatis callide mutuati sunt ut auctorem, Doctorem illum Seuss paene κατὰ πόδας sectarentur<sup>7</sup>.

Inter has paucas praestantissimas interpretationes numeranda est etiam Petri Angelinii *Anthea sive "Eamus ad Ipsum"*. Quanquam haud scio an paraphrasis potius quam interpretatio sit dicenda, siquidem Angelinus haud pauca recisit, quae sunt in fabula primigenia; nonnulla uberiore orationis tractu diffudit et explicuit; alia de suo addidit atque nonnunquam scribendi studio abreptus suos versus interiecit. Etenim, cum Polonus scriptor tempora antiqua, ut sunt, quamvis senta et squalida fideliter repraesentare conatus esset, Latinus interpres, delicatior homo, quicquid minus honestum duceret ac propterea fastidiret, demere vel contegere voluit et, quemadmodum Daniel Volaterranus pictor, cum concilii Tridentini decretis corporum nuditas in arte sacra damnata esset, genitalia personarum *Extremi iudicii* in Xystini sacelli camera paulo antea dexterimo Michaëlis Angeli Bonarotae penicillo depictarum peristromatibus quibusdam velavit; ita et ille quae pudenda in fabula Sienkiewiczz existimabat, tanquam veste Latina texit atque occultavit. Nullae igitur meretriculae, nulla in servos crudelitas in Latina *Anthea*; omnia pudica, honesta, decora. At, dum interpres omnibus antiquitatis sordibus nobiliorem colorem sedulo inducit, non nihil timeo ne antiquitatem mundam illam quidem, sed quae nunquam fuerit, exhibeat ac ne legentibus tanquam castratum Sienkiewiczum praebere videatur.

Linguae difficultas est iis qui iam aliquantum in studio Latinitatis profecere quam tironibus elementariis accommodatior. Genus scribendi non oppletum illud Tullianis elegantiis et verborum luminibus, verum parce interspersum; non fucatum et quasi unguentatum, sed mundum, concinnum et quod naturali quadam pulchritudine exsurgat. Praeterea *Anthea* est talis ut Latine excogitata et quasi nativa videatur, non, sicuti est, alieni operis interpretatio. Sermo purissimus, nec tamen ubique Ciceronianus. Quippe Angelinus rigidis praecepsis, quae de uno Cicerone imitando alibi dedit, non obtemperavit<sup>8</sup>, sed, ut statim eluet e fontibus ab editore textui *Antheae* subiectis, passim Livium, Curtium (imprimis pp. 58 et 61) vel etiam Petronium imitatus est (pp. 38, 41, 43, 44, 48, 49, 52, 54, 65, 66). Orationem praeterea nonnullis vocibus nobilioribus poëticis aspersit et

*Henrico Paoli Latinis versibus redactae* (Florentiae, 1960); *Caroli Collodi Pinoculus Latinus* (Florentiae, 1962). *Henrici Hoffmann Petrus Ericius (Struwwelpeter)*. *Lepidae historiolae ab Hugone Henrico Paoli Latinis versibus enarratae* (Florentiae, 1960).

<sup>7</sup> *Cattus petasatus*, *The Cat in the Hat in Latin. Qui libellus est a Doctore Seuss primo Anglice compositus at nunc (quod vix credas) in sermonem Latinum a Guenevera Tunberg et Terentio Tunberg conversus!* (Wacondae, 2000). Quae interpretatio constat ex octosyllabis similiter desinentibus.

<sup>8</sup> Videsis luculentum dialogum q.i. *Lollius sive de provecta Latinitate* (Romae, 1901). In eo opusculo, quo Angelinus quid de litteris, de docendo, deque scribendo sentiret non sine salibus et facetiis exposuit, adeo morosum puri sermonis amatorem se esse ostendit ut praeter Ciceronem et fortasse Caesarem Liviumve Latinitatis auctorem videatur habere neminem. Quod scribit cum alibi in *Lollo*, tum p. 85 seqq. Quanquam quid Livium dixi? Fastidit Angelinus verbum innotescendi (ibid., p. 98), quo tamen usus est Livius (XXII 61, 4), posterioris scilicet et cadentis Latinitatis scriptor! Nec minus austere idem damnat usum participii futuri, ubi de consilio alicuius rei facienda ponitur, structuram eidem Livio usitatissimam (cf. *Lollium*, p. 95). Quas severissimas et, ut ita dicam, Draconteas leges non modo tum sequendas esse existimat, cum vocabula Ciceroniana idem significantia suppetunt. De omnibus rebus, quarum aetatis aureae scriptores non meminerint, tacere iubet, nempe, ne Tullianae orationis candorem posterioris Latinitatis sordibus infuscemus. “Cauti Syrtes vitavimus”, inquit ibid. p. 92, “nulla re proposita, de qua non possemus cum Tullio disserere. Quare de mathematicis, de physicis nihil; nihil de novissimis inventis, commerciis, industriis; de praesenti denique hominum societate, nonnisi quae cum antiquis communia essent, attigimus. Scilicet nulla urget necessitas vitoiose loquendi, ut imperitis docti esse videamur”.

tanquam gemmulis distinxit, veluti cum “parentem” singulari numero pro patre scribebat (p. 66), “coniugem” pro uxore muliereve, vocabulis usūs magis cottidiani (p. 66); vel cum fluvium “amnem” (p. 38), mare “aequor” (p. 40), gladium “ensem” (p. 63) appellaret. Quibus rebus id effecit ut nitorem ac levem quendam poëticum colorem narrationi suae apposite conciliaverit propriusque ad scriptores argenteae aetatis accesserit<sup>9</sup>.

Invenias quoque quae ut posterioris poëticae Latinitatis sunt, ita stilo nequaquam serviant; atque nonnulla etiam minus Latina vel improprie dicta quae Angelinio excidisse nolles. Quod genus “causā” cum casu genetivo, sensu causali dictum (“Ego ipsorum causa discurcior” p. 42, quod apud bonos quidem Latinitatis auctores perraro reperias); “albicans” pro albi coloris (p. 59); “hactenus” pro “adhuc” (p. 43); “publice” pro palam (pp. 55 et 59); “pulvinar” de simplici pulvino minus proprie possum (p. 59); “aedem” singulari numero de privatis aedibus – nam Polonice scriptum est “dom”, i.e. domus – (p. 47); “usus fuisse” (p. 63); “subiecta fuerant” (p. 64); “fuerant auditae” (p. 66) aliaeque huiuscemodi formae constanter pro simplicibus perfectis “usus esse”, “subiecta erant”, cett. Verum, ubi plura nitent, paucis maculis non offendimur et genus scribendi Angelinii est sane venustissimum.

Iam consideremus quomodo professor Sacrē editoris munere functus sit. Is introductionem praemisit bonae frugis plenam, in qua de vita Angelinii, de *Anthea*, de eius stilo, editionibus, fortuna doce disserit atque praeter alia validis argumentis demonstrat poëtam Latinum Franciscum Sofia Alessio argumentum carminis cui index *Asterie ex Angeliniana Anthea* desumpsisse. Praeterea editor apparatum locorum similium contextui submisit ut legentes facile intellegent quos veteres Angelinius imitatus esset et quomodo. Annotationibus quoque fabulam instruxit, quibus quid interpres addidisset, quid contra a Sienkiewicz narratum omisisset, declararet.

Quae omnia professor Sacrē non Nederlandico, qui est ei patrius, verum Latino sermone perscrispsit, laudabili sane consilio, quod si plures philologi hodieque in scriptoribus Latinis recentioribus edendis sequerentur, vel certe unam e notioribus linguis usurparent, neque, ut fit, eligerent quod sibi est facilissimum, exteris autem lectoribus saepe laboriosissimum, ut sermone sibi quisque patrio uterentur, multa incommoda evitaremus, nec tam saepe usu veniret ut litterarum Latinarum studiosi commentarios et prolegomena ad scriptores Latinos recentiores, quos legunt, intelligere nequeant. Recentiores Latinos scriptores dico, quod, si quis antiquos evolvere velit, integrum ei est eligere inter multas editiones variis linguis confectas; si quis autem recentiores legere cupit, saepius, si ulla, unica exstat editio recentior ut, si Hungarice vel Danice introductio et annotationes sint scriptae, ad alias configere non liceat. Iam vero, cum Theodericus Sacrē in arte Latine scribendi adeo excellat ut nonnunquam ipsi Angelinio palmam dubiam faciat, quantam non utilitatem modo sed etiam voluptatem ex hac re lector linguae Latinae studiosos capiat facile est ad intellegendum.

Sed iam redeo ad institutum sermonem de rebus quibus nova haec *Antheae* editio est exornata. Neque enim ad finem perveni. Alia complura inserta sunt in duabus copiosis appendicibus. Liber quippe hic tantummodo Latinam *Antheam* fronte promittit; multas vero res ac lectu dignissimas occultat in recessu. Priorem appendicem occupant scriptiunculae Latinae ipsius Henrici Sienkiewiczz, nempe litterae, quibus gratias egit sociis academie Caesareae Petropolitanae, quod ipsum in suorum numerum cooptavissent, atque oratiuncula fortasse scripta ut haberetur eo die quo Sienkiewiczus doctor ab academie Cracoviensis curatoribus honoris causa factus est. Hasce scriptiunculas excipit interpretatio vel potius epitome Latina mythistoriae cui titulus *Quo vadis?*, opusculum rarissimum, quod a magistro Hungaro nomine Adalberto Danczer in tironum gratiam confectum in ephemerede q.i. “Iuventus” ante centum annos vulgatum est. Quod tam procul abest ab illo summo artificio, quod in Angelinii conversione admiramur, ut vix grammaticae scriptum videatur. Nec tamen prorsus inutile erit Latinitatis studiosis hanc quoque interpretationem attingere ut iudicium acuant videantque ex utriusque conversionis comparatione “quid distent aera lupinis”.

---

<sup>9</sup> Alias voces et constructiones ab aurea Latinitate alienas enumerat Theodericus Sacrē p. 18 praefationis.

In altera autem appendice insunt alia Latinitatis Angeliniana specimina, et primum carmina quae-dam; tum oratio funebris Leopoldi II, regis Belgarum, quam Angelinius anno 1910 in aede Xystina coram summo pontifice habuit. Quae omnia tera sunt et Latina.

Libri aspectus est nitidus; pretium satis modicum, sphalmata typographica tam rara ut ea notare sit putiduscum. Tantummodo requiras diligentorem annotationem discrepantiarum libri Sienkiewicziani et operis Angeliniani. Fortasse optandum quoque erat ut, quemadmodum olim David Ruhnkenius in Mureti scriptis a se editis notavit quae a pura Latinitate abhorrent, ita et Theodericus Sacré pro sua egregia sermonis Latini peritia quae minus Latina essent apud Angelinium et Danczerum, in annotationibus ostendisset. Hac enim via ac ratione mirum quantum consulatur iis qui iudicium exacuere atque ad interiorem linguae Latinae scientiam penetrare cupiunt.

Sed “desino tandem querelarum”. Hoc rarissimo opusculo iterum edendo optime promeritus est professor Sacré de omnibus hominibus litterarum Latinarum ac Polonicarum amantibus. Quo evolvendo peritiores iudicium exercebunt, tirones discent, utrique oblectabuntur.

Quod reliquum est, libri materiae conspectum appendicis loco hic appono atque initium interpretationis Angeliniana. Qua degustata spero fore ut quam plurimi se applicent ad integrum fabulam perlegendam. Operae pretium facient.

### RERUM QUAE IN LIBRO INSUNT CONSPECTUS

Praefatio, pp. 7–32

P. Angelini, Anthea. Ex fabula H. Senkewitz [sic] “Eamus ad Ipsum”, pp. 33–67

Appendices:

- I. Appendix Sienkiewicziana, pp. 69–133
  - 1. Epistula Sienkiewiczii Latina (1897)
  - 2. Latina Sienkiewiczii oratiuncula (1900)
  - 3. Latina versio mythistoriae, c.t. “Quo vadis?”, interprete Adalberto Danczer (1911/1912)
- II. Appendix Angeliniana, pp. 135–158
  - 1. Carmina Petri Angelinii
  - 2. P. Angelinii oratio in funere Leopoldi II Belgarum regis (1910)

Adnotationes, pp. 159–177

### INITIUM FABULAE SIENKIEWICZIANAE PETRI ANGELINII OPERA IN LATINUM CONVERSAE

Qui optimo vitae cursu rebusque ad voluntatem fluentibus gaudent, ii curiosius inquirent siquae forte in hac narratiuncula reperiantur dicendi veneres quibus aures blande detineantur. Qui vero fortunae reflantis impetum sunt experti, iis profecto nulla potest audiri aut exprimi iucundior vox quam nuda haec maerentis Antheae: «Eamus ad Ipsum». Est enim spe deiectis et quasi naufragis portus *Ipse*, qui dixit: «Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos».

C. Septimius Cinna, patricius Romanus, emeritis stipendiis inter legiones, cum esset etiam tum integra aetate, Romam reversus est otii fruendi causa vitaenque per luxum ac voluptates agendae, quibus, ut tunc erant tempora, circumfluere divitibus liceret. Ei nulla deorum opinio erat; philosophiam pro nihilo habebat; bonum, virtutem vacua verba putabat quibus nulla esset subiecta sententia. Cumque id unum sibi proposuisset, curare se molliter et iucundissime vivere, actae ex arbitrio aetatis admirationem iniecit aliquamdiu civibus, donec dissipata re familiari, nihil sibi reliquum sensit nisi gaudii lassitudinem rerumque omnium satietatem. Huc accessit

animi aegritudo maxima, qualem expertus fuerat antea numquam. Nam praedives et ut iis temporibus voluptuarius, deliciis omnibus diffluxerat ille quidem, gloriae militaris cupiditatem expleverat depulso periculo gestiens; idem cum suae aetatis philosophis valde coniunctus facile intellegebat quos intra fines humanae vis mentis contineretur, artem, poësim admiratione et cultu fuerat prosecutus; in quo denique vita consistenteret, quid eadem polliceri posset apprime tenebat. Nihilominus in iis omnibus persequendis magnum aliquid neglexisse sibi videbatur nec quid illud esset diu cogitanti apparebat.

*Antonius Haaker  
Universitatis Wratislaviensis*